



Per.
Lat
020

Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse. Laptulajdonos: Katolikus Középiskolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel.: 142-215).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR., Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268-634).

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1939-40. 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chèque) postalis in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium, unde pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.


ANDREAS AVENARIUS carissimis IUVENTUTIS lectoribus sal.

Amice invitatus ab illo egregio viro, cuius fructum industriae singulis mensibus, hos fasciculos, accipimus, non scribere de sollemni illo summi pontificis ad regiam Italiae accessu non poteram: sed quis de ea re possit proferre, quod vobis auditum non sit, cum plenae omnes fuerint ephemerides? Accipite paucis, quid viderim ego illo die.

Cum suspicarer eo die, qui fuit a. d. V. kal. Jan. curiae pontificiae officia propter eventum tam singularem teneri clausa, quod nuntiatum nihil per aereum filum erat, ad palatium fidei propagandae, ut soleo, coepi contendere. Veni ad portam officii mei clausam. Redirem, monet ianitor, irem spectatum in monte Quirinali praetervectionem Pontificis. Nunc a consueto itinere deflectens procedere coepi versus montem Quirinalem.

Ascendo usque ad exitum viae Panis et Pernae, capio locum, unde spero omnia meo commodo

visurum esse, et vidissem profecto, nisi quadruplex phalanx militum prospectum impedire coepisset. Festivum erat et iucundum cernere fluitantia ex tam multis fenestris vexilla regni Italici unaque vexilla papalia. Hic, in sinistro angulo stabant milites symphoniaci et filmator quidam — pellicularium artificem dico — conscenderat diuigis redae¹



Inter regem reginamque Italiae principissa Piemontana anulum Pii XII. Summi Pontificis in regiam advenientis osculatur.

suae tectum, ne quid effugeret adventantis et optato celerius praetervolantis pompae pontificiae. Densantur usque spectatorum catervae, quos neque inimica frigora remorantur, neque, quae paulo post cadere coepit, pluvia: omnium in vultu legeres felicitatem, quod Christi Vicarius primum post longos annos pedem esset inlaturus in eas aedes, in quibus multi habitassent pontifices, e quarum muris etiam nunc pendent pontificia insignia. Sentiebam et ipse Italarum atque Romanorum felicitatem, quod nunc, pace inter utramque potestatem confirmata, heres Petri ire possit salutatum regem, regi sit liber aditus ad Pontificem.

Horam certe steteramus iterum iterumque torquentes oculos in eam viae flexuram, qua escensuri currus erant. Repente advolat quidam insedens dynamicae birotae; prodromum digarum¹ ultro sensimus. Et aliquanto post ecce tibi digae cardinalium et diga ipsius patris Christianorum: apertis fenestris sedens in utramque partem turbae benedicebat sic, ut ex vultu, ex habitu corporis, ex motione brachii paternus facile eminere animus. Sed totus aspectus ita momentaneus fuit, ut comparare liceat scenae, quam in cinemate subito

subeuntem et iam abeuntem contuemur, neque credo eo quo ego stabam loco multum profectum esse a pelliculariis et photographis propter eam celeritatem, quae necessaria fuisse videtur digis in tam acclivi loco montis Quirinalis. Non tamen defuerunt acclamationes multitudinis aut manuum iactatus, et inflaverunt cornua symphoniaci.

Scitis Pontificem iam antea salutatum fuisse ad limitem Civitatis Vaticanae ab legato regio et rursus cis flumen Tiberim a gubernatore urbis. Et quid actum sit, quae verba Pontifex in aula regia fecerit de vera in mundo condenda pace, omnes habent ephemerides, neque opus est ea me hic referre, ne aquam ferre videar in mare. Postquam Summus Pontifex et eius comitatus sex aut septem digis vectus pervenisse in regiam visus est, nos aegerrime per confertissimum globum spectatorum eluctati, tendentes pluvialia tegumenta domum regredi coepimus gaudentes, quod remanseramus spectatum: nam alius est rem vidisse, rei interfuisse, aliud legere quae qui viderunt narrant.

¹ automobilis



Ill.-mo et Rev.-mo Domino
 Suae Reverentiae FRANCISCO LUTTOR
 consiliario ecclesiastico
 Legationis Hungariae ad Sanctam Sedem
 R O M A

N° 8913.....
 DA CITARSI NELLA RISPOSTA

DAL VATICANO, 13 Dicembre 1939.

Ill.-me et Rev.-me Domine!

Gaudens Vestram Dominationem Ill.-mam et Rev.-mam certiore facio Sanctum Patrem fasciculos ephemeridis hungaricae „Juventus“ latine scriptos voluptate accepisse.

Impertiat, quaeso, Vestra Dominatio moderatoribus et adiutoribus eiusdem ephemeridis pro dedicatione devota grati animi significationem augustam et Benedictionem Apostolicam, auspiciis luminosorum progressuum.

Libenter utor circumstantia, ut me cum sensu distinctae aestimationis confirmem

Dominationis Vestrae Ill.-mae et Rev.-mae
 devotissimum in Domino

L. Car. Maglione

Vivum Latinum.

Recitatio Latina radiophonica II per longitudinem undarum missoris I Budapestinensis die 2-o m. Februarii inter horam 22¹⁰—23 intercapedine (= pausā) tricinii (= trio) musici Mozartiani et Raveliani habebitur a prof. *Nicolao Szabó* dr.-e de Collegio Eötvösiano, cuius ipse director est.

Cursus sermonis latini Instituti Populo Eru-diendo Budapestinensis (Népművelési Bizottság) in gymnasio Vörösmartyano (VIII., Horánszky-utca 11.) a professore eiusdem gymnasii *Francisco Turányi* dr.-e instituitur die Martis nec non die Veneris cuiuscunque hebdomadae vespere hora 6—7. Pretium totius cursus: 6 pengoe. Qui participes huius cursus esse desiderant, nomen dare velint in officio Instituti supra dicti (IV., Széputca 5).

Commercium epistolare.

A. d. IX Kal. Jan. MDCCCXXXIX. Schiedam.

P. S.

Nos, discipuli classis II-ae gymnasii Schiedamensis, iam nunc in animo habemus legere ephemeridem «Iuventus». In ephemeride, mense Novembri edita, epistolam legimus discipulorum collegii Epsomensis. Nunc scribemus vobis aliquid de gymnasio nostro. Aedificium gymnasii vetustissimum est. Fere 120 discipuli frequentant scholam nostram, sed omnes post meridiem domum redimus.

In nostra classē 21 discipuli sunt, quorum 9 puellae, 12 pueri. Urbs Schiedam sita est in provincia, cui est nomen «Zuid-Holland» haud procul ab urbē Roterodamo, quae est maximus portus terrae nostrae. Discimus inter alia in classe II-a linguam Latinam, Gallicam, Germanicam et historicam. Bis singulis septimanis¹ habemus post meridiem exercitationem gymnasticam; aestate in agro et hieme intus. In agro ludimus pilā. Meridie liberi sumus. Est etiam societas discipulorum gymnasii, cui est nomen: «Non semper arcum tendit Apollo». (Hor. Carm. II. 10., 19—20.)

Nunc salutamus nostros amicos, qui etiam ephemeridem «Iuventus» legunt. Haec epistula scripta est a discipulis Gymnasii Schiedamensis.

P. S. Speramus fore, ut velis edere hanc epistolam in ephemeride.

Iulia van Leeuwen.

Gymnasium, Lange Nieuwstraat 101.
(Holland) Batavia.

¹ hét = Woche = semaine

Epistolarum gratulatoriarum exeunte anno 1939 ad moderatorem missarum, pro quibus hic gratias agimus quam maximas, duas elegimus ad publicandum aptissimas:

Vestro permissu nunc paucis verbis dies festos Christi nati amoenos optare volumus. Benedictio Jesu parvi descendat super Vos, Moderatorem Iuventutis, qui opere tam indefesso periodicum non solum iucundum, sed etiam utile iuventuti porrigitis. Felicem diem festum natalis Christi et omnia bona precamur in proximum annum.

Discipulae *gymnasii Ursularum*,
Iuventutem libenter legentes. Scarabantiae
(Sopron), die 22. Decembris a. 1939.

«Nulla rosa sine spinis» dicit antiquum proverbium. Si annus superior Tibi plures spinas, quam rosas attulit, ut annus incipiens nihil aliud quam flores Veneri sacros praebet Teque muneribus cumulet egregiis, Humanitati Tuae votis sincerissimis

apprecatur *Doc. Dr. Fr. Lenoch*

Praha XII., Londynská 9

aestate: Bohdanec prope Pardubice.

Librorum recensio.

Dr. Bendefy László: Fontes authentici itinera fr. Iuliani illustrantes. Budapest, 1927. Pretium 7 P.

Ladislav Bendefy dr., qui quandoquidem itinera fratris Iuliani annis 1235. et 1237. ad veterem Hungarorum patriam indagandam suscepta, adhuc non satis explorata erant, quo magis in aperto essent et clarescerent, sese in operosos labores ingurgitans optime de Iuliano meruerat, hoc volumine codices manuscriptos, qui ad itinera et res gestas Iuliani pertinent, XXV tabulis phototypice descriptos et una cum professore *Georgio Balanyi* dr. accuratissime collatos exhibuit. Quorum tabularum I—IV descriptionem itineris prioris fr. Iuliani a fr. Richardo, V—VIII descriptionem itineris prioris fr. Iuliani a fr. Richardo (Riccardianus 228), IX—XIV descriptionem prioris fr. Iuliani a fr. Richardo (Pal. Lat. 965), XIV epistolam fr. Iuliani de bello Mongolorum, XV—XVI epistolam fr. Iuliani de bello Mongolorum (Pal. Lat. 443), XVII—XXIII epistolam de vita Tartarorum a fr. Iuliano (Vat. lat. 4161), XXIV—XXV epistolam fr. Iohannae Hungari.

Ceterum Bendefy fr. Richardi protocollum de itinere fr. Iuliani a. 1235—1236 facto, epistolasque fr. Iuliani de itinere altero a. 1237—1238 facto, atque Georgius Balanyi dr. epistolam Iohannae Hungari de missionibus a. 1320 in Hungaricum converterunt. Praeterea Bendefy dr. de Iuliani codicibus manu scriptis, de itineribus fr. Iuliani, de peregratione fr. Ottonis de regione itineris Iuliani, de Iuliani itinere altero, de temporibus itineris Iuliani opinionibus quibusdam falsis dispulsis doctissime et latine disseruit. Denique haud dubitanter dicere ausim Ladislavum Bendefy dr. quaestione de itineribus Iuliani paene profligata historicis perutile adiuventum suppeditasse sibi-que laudem insignem peperisse. *C. Acs.*



Pittacia Hungarica, quae subsidium rei aeronauticae nationale de Nicolao Horthy nominatum augendi causa duplici pretio venduntur.

LECTORIBUS MINIMIS.

Jocosa.

1. **Globulus:**¹ Duo pueruli et mulier sedent in atrio² medici. Mulier interrogat: «Quo³ morbo³ laboras?»³ «Devoravi⁴ globulum, quem medicus expellet» respondet ille. Et mulieri roganti alterum: «Et tu amicum tuum comitatus es?»⁵ respondet ille: «Non, non, red globulus meus est.»

2. **Zoologulus:**⁶ Stephanus primus est in vivario.⁷ Videt parvos virides psittacos:⁸ «Ecce, pater, fringillae⁹ immaturae!»

3. **Mathematica.** A: Vicinis vestris gemini¹⁰ nati sunt. Pueri vel puellae sunt? B: Alterum puerum, alteram puellam esse existimo, sed etiam esse potest, ut ex contrario¹¹ sit.

4. **Ad verbum:**¹² «Cur non reddidisti anulum adamantinum,¹³ quem invenisti, in excubitorio?»¹⁴ «Cogitavi, supervacuum esse!» — «Quomodo?» — «In anulo scriptum est: Tuus in aeternum!»

Ervinus Hajas disc. Agriensis.

5. **Grammatica:** Filium docet mater grammaticam. Nunc docet tempora verbi, praesens, praeteritum, futurum, etc. Subito filius interrogat: Mater, quod tempus est hoc: «Pater paginis¹⁵ ludit?»¹⁵ — «Hoc est, mi fili, tempus male¹⁶ dispensatum.»¹⁶

6. **Helena:** «Ecce, Aemilia, hic leopardus hilari vultu spectat nos, quasi rideret.» — Aemilia: «Certe ridet, quia vestis¹⁷ tua pellita,¹⁷ quam geris, est tantum imitatio pellis leopardi.»

7. **Filius cantoris**¹⁸ concentus¹⁸ garrulitate¹⁹ scholam semper turbavit. Cui professor: Scribes quinquagies: «In schola non licet garrere.» Hoc puerum subscribet pater tuus. — «Aha! — dicit filius — ut suspicor,²⁰ professor patris mei autogramma cupit habere. G. Légrády disc. gymn. Acad.»

8. **Medicus dentium ad aegrotum** (vulgo: patientem): «Si quid delicatissimi²¹ audire velis, remane, quaeso, paululum!» — Aegrotus: Cur? — Medicus: «Dentem enim cantatricis²² flexicanorae²² extraham.»

9. **A: Mutuare**²³ mihi decem nummos! — B: Non possum tibi decem nummos mutuari, quia tantum quinque habeo. — A: Nil²⁴ réfert¹²⁴ Mutua igitur quinque nummos et ceteros cras mihi dare poteris.

10. **A: Quomodo assuevisti potare?**²⁵ — B: Propter res familiares. — A: Fortasse matrimonium est infelix? — B: Non. Tres affines²⁶ habeo et omnes caupones²⁷ sunt.

Elmer Rezső abituriens gymn. Acad. Bp.

¹ kis golyó = Kügelchen = bille ² várószoba = Wartezimmer = salle d'attente ³ mi bajod van? = was fehlt dir? = qu'est-ce que tu as ⁴ lenyel = hinunterschlucken = avaler ⁵ elkísér = begleiten = accompagner ⁶ parvus zoologus ⁷ állatkert = Tiergarten = jardin zoologique ⁸ papagáj = Papagei = perroquet ⁹ kanári = Kanarienvogel = canari ¹⁰ ikrek = Zwillinge = jumeaux ¹¹ fordítva = umgekehrt = le contraire ¹² szóról-szóra = wörtlich = mot à mot ¹³ gyémánt = Diamant = diamant ¹⁴ őrszoba = Wachtzimmer = poste de police ¹⁵ kártyázik = Karten spielen = jouer aux cartes ¹⁶ ellopott = verschwendet = perdu ¹⁷ bunda = Pelz = fourrure ¹⁸ hangversenyénekes = Konzertsänger = chanteur de concert ¹⁹ fecsegés = Geschwätzigkeit = bavardage ²⁰ sejtem = vermuten = soupçonner ²¹ bájos = reizend = charmant ²² koloratúrénekeső = Koloratursängerin = chanteuse de vocalise ²³ adj kölcsön = leihen = prêter ²⁴ nem tesz semmit = es

kommt darauf nicht an = cela ne fait rien ²⁵ ivás = trinken = boire ²⁶ sógor = Schwäger = beau-frère ²⁷ vendéglős = Gastwirt = restaurateur

Etiam ille in equitatu stipendium¹ meruit.¹ Comes² Haeseler, tribus bellis perpugnatis anno 1903 in otium se recepit et negotia domestica in fundis³ suis solus curavit. Mane, cum ex consuetudine sua vestimento trito⁴ et ex lana caprina facto indutus exiret, ut messi⁵ adesset, in via agresti equo obvehebatur ei subcenturio⁶ hussarorum, qui ut quivis videre poterat, cum equo suo inquieto aegerime circumibat. Comes Haeseler statim vidit, quid mali esset et subcenturioni acclamavit: «Artus⁷ est cingulus⁸ equi!» Praefectus⁹ ille militum⁹ iunior descendit equo et rusticum illum seniore recte dixisse vidit. «Fac, retineas mihi aliquamdiu¹⁰ — inquit — equum meum.» Et dum cingulum laxat,¹¹ cōmiter¹² continuavit: «Te equorum peritum¹³ esse video. Tu quoque in equitatu stipendium meruisti?» — Ita est, domine subcenturio! — respondit modeste rusticus senior.

— Habuistine etiam gradum honoris?

— Habebam, domine subcenturio.

— Optio¹⁴ eras?

— Non. Supremus mareschallorum fueram.

Georgina Löbl abituriens Kaposváriensis.

¹ katonáskodik = Kriegsdienst tun = servir comme soldat ² gróf = Graf = comte ³ birtok = Landgut = domaine ⁴ kopott = fadenscheinig = rápé ⁵ aratás = Ernte = moisson ⁶ hadnagy = Leutnant = lieutenant ⁷ szük = eng = étroit ⁸ hasszj = Bauchgurt = sous-ventière ⁹ tiszt = Offizier = officier ¹⁰ egy ideig = eine Zeit lang = un certain temps ¹¹ tágit = lockern = desserrer ¹² leereszkedően = herablassend = avec condescendance ¹³ ért vmihez = Kenner = se connaître en ¹⁴ őrmester = Feldwebel = sergent

LECTORIBUS MEDIIS

Quomodo Romani merces commendationibus pervulgaverint? (5)

Ex periodico «Tükör» intitulo. Scripsit *I. Révai*, convertit *Aem. Láng* Keszthelyensis.

Multae fuerunt Pompeiis tabernae¹ argentariae.¹ Celeberrima earum fuit L. Caecili Iucundi, cuius tabulae² negotiales² adhuc supersunt. Argentarii vix opus fuerunt commendationes, pecunia nimirum tunc quoque temporis merx maxime vendibilis³ fuit. Eo plura exstant signa alius generis. Capra fuit symbolum venditorum lactis, furnariae⁴ autem mola⁵ asinaria,⁶ furnarius scilicet etiam molator⁷ fuit. Alibi homines amphoram ferentes in cauponam invitant. In tabula caelata cuiusdam fabri⁸ aerarii⁸ unus minister⁹ incudem tundit, alter res aeneas spectat, ipse vero possessor emptori cum filiolo astanti aenum¹⁰ ostendit. In fronte cuiusdam domus adhuc legitur inscriptio: Diogenes structor.¹¹ Alter structor semet ipsum

¹ pénzváltóüzlet = Wechslerladen = bureau de change ² üzleti könyvek = Geschäftsbücher = livres de compte ³ kelendő = gangbar = facile à rendre ⁴ pékműhely = Bäckerei = boulangerie ⁵ malomkő = Mühlstein = meule de moulin ⁶ ab asinis versata ⁷ molnár = Müller = meunier ⁸ rézműves = Kupferschmied = chaudronnier ⁹ segéd = Gehilfe = ouvrier, compagnon ¹⁰ rézüst = eherner Kessel = chaudron de cuivre ¹¹ kőműves = Maurer = maçon

in summo tabulato¹² stantem et arenatum¹³ parieti inducentem depingendum curavit. Uti nunc temporis, sic etiam apud antiquos iam moris erat aedificia publice facta nomine architectoris signare. Pompeiis in lapide murali theatri maioris ab orientali parte prope introitum incisum erat: «M. Artorius, Marci libertus, Primus architectus.» Tabula autem marmorea in aede Isidis docet: «N(umerius) Popidius N(umerii) f(ilius) Celsinus aedem Isidis terrae motu conlapsam a fundamento p.¹⁴ s.¹⁴ restituit.» Promulgata¹⁵ et programmata ab antiquis colore rubro vel nonnunquam nigro parietibus illita sunt. Multae huiusmodi inscriptiones ad ludos amphitheatrales spectant, sic: Cn. Allei Nigidi Mai¹⁶ quinquennalis¹⁷ gl(adiatorum)¹⁸ par(ia)¹⁸ XXX¹⁸ et eorum supp(ositicii)¹⁹ pugnabunt Pompeiis VIII. VII. VI. K(alendas) Dec(embres) . . . venatio²⁰ erit. Maio quinquennali feliciter.²¹ Paris va(le).²² Continuabitur.

¹² deszkaállvány = Gestell = échafaudage ¹³ vakolat = Mörtel = mortier ¹⁴ pecunia sua ¹⁵ falragasz = Plakat = affiche ¹⁶ Cn. Alleius Nigidus Maius tempore Claudii Caesari vir fuit praedives et auctoritatis plenus ¹⁷ fuit magistratus in municipiis et coloniis, cuius potestas censoriae similis per quinquennium — unde nomen — durabat ¹⁸ 20 pár gladiator = 20 Gladiatorenpaare = 20 couples de gladiateurs ¹⁹ póttag = Ersatzmann = remplaçant ²⁰ állatviadal = Tierhetze = combat d'animaux ²¹ éljen! = Hoch! Heil! = vive! vive! ²² salve! Paris gladiator fuit Pompeianis acceptus.

De pyrobolo portam salutis aperienti.

Scripsit Z. Harsányi. Latine enarrat I. Guelmino Bp.

Duo colloquebantur in pyrobolorum missore¹. Ambo aviatores² Russi: «Nonne, tu bene nosti hanc regionem, infra?» interrogat speculator³ aëroplanigam⁴.

— Nec palmam meam propriam magis, — respondet aëroplaniga. — Duos annos laborabam ibi in manu⁵ delectorum⁵ exploratoria⁵ et studebam omnia cognoscere, ita ut et minimam quoque proclivitatem⁶ cuiusque tumuli noverim. Ita, ut si paulo demissior⁷ volem, discernere⁸ possim, quis in qua casa habitet. O, si unam illarum bene collineare⁹ mihi contingeret¹⁰!

— Ibi habitans fortasse inimici tui?

— Sane. Ibi habitant propinqui mei.

— Ah! Tu nunquam Finnos habere propinquos memorasti.

— Quia adhuc nunquam missus sum, ut e missore pyrobolorum salutarem illos.

— Et vere propinqui sunt tibi illi?

— Patruales¹¹.

— Quomodo?


— Modus est vere simplicissimus. Ego quoque, sicut tot alii, habebam proavum¹². Ille, cum Finniā caesarem¹³ imperium potiebatur, gubernator erat ibi districtualis¹⁴, unde sibi uxorem duxit. Duos liberos habuit: filiam et filium. Filia in Russiam remigrans, avia¹⁵ mea facta est et saepe narravit mihi thesaurum¹⁶ magnum a proavo in Finniā relictum esse absconditum. Nesciebat autem, ubi esset absconditus. Verisimile putabat non ipsa in casa, sed circum eam absconditum esse. Proavus enim casam propriam habuit ibi. Illam ipsam, in qua nunc filia filii eius habitat cum marito et infante.

Aliquid silentii intercessit. «Nunc intelligo — dixit speculator —, filia et tu patruales estis.»

— Ita est — respondet aëroplaniga. — Pater autem eius, qui remansit in Finniā et ibi sibi uxorem duxit, Finnus verus factus est. Et cum ego, ut iam memoravi, duos annos laborabam ibi et ut propinquus multum morabar in casa antiqua, captus¹⁷ eram¹⁷ amore¹⁷ filiae. Et iamiam ita erat, ut mihi desponderetur¹⁸, cum apparuit ex urbe Helsinki mentor¹⁹ quidam, Finnus, et ego perbrevis tempore me plane²⁰ supervacaneum²⁰ esse sensi. Hilka recusavit²¹ nuptias²¹ meas.

— Sed fortasse dives est mentor ille, dixit speculator.

— Immo, pauper, ut mus in templo. Et ab hoc pauperculo²² humiliatus²³ sum. Intelligis nunc,



cur hunc pyrobolum maximo cum gaudio immitam eis?

— Certe. Sed iussus es stationem ferroviariam ad oppidum Terijoki disicere²⁴.

¹ bombavető = Bombenwerfer = avion de bombardement ² repülő = Flieger = avion ³ megfigyelő = Beobachter = observateur ⁴ vulgo: pilota ⁵ kémkülönít-mény = Spächerdetachment = détachement d'espionnage ⁶ lejtő = Abhang = pente ⁷ alacsonyabban = niedriger = plus bas ⁸ megkülönböztetni = unterscheiden = distinguer ⁹ célba talál = das Ziel treffen = atteindre ¹⁰ sikerülni = gelingen = réussir ¹¹ unokatestvérek = Vetter = cousin ¹² dédapa = Urgroßvater = aieul ¹³ cári = Zaren = du Czar, tsarien ¹⁴ kerületi = Bezirks = du district ¹⁵ nagyanya = Großmutter = grand'mère ¹⁶ kincs = Schatz = trésor ¹⁷ beleszeret = sich verlieben = s'énamouurer, s'amouracher ¹⁸ eljegyezni = verloben = se fiancer ¹⁹ mérnök = Ingenieur = ingénieur ²⁰ teljesen felesleges = ganz überflüssig = tout à fait superflu ²¹ kikoszaraz = einen Korb geben = éconduire ²² szegény ördög = armer Teufel = pauvre diable ²³ megaláz = demütigen = humilier ²⁴ felrobbant = zerstören = faire sauter

— Et tu admiraberis, si in oppido Terijoki pyrobolus non stationi ferroviariae, sed casae illi immittetur? O, si vir quoque domi sit, quoniam Finni hucusque ad arma²⁵ omnes nondum vocati²⁵ sunt! Ecce autem ante oppidum Terijoki sumus et, nisi fallor, globuli²⁶ quoque mittuntur²⁶ ab aëris defensoribus²⁷. Protinus²⁸, semper protinus perge; iam video tectum . . .
(*Finis sequetur.*)

²⁵ mozgósít = mobil machen = mobiliser ²⁶ tüzel vkire = schießen = tirer sur qqun ²⁷ légvédelem = Luftschutz = défense antiaérienne ²⁸ előre! = vorwärts = en avant

Nuntii recentissimi.

Concertatio in litteris Graecis, quae ab Societate Litterarum Humanarum (vulgo: *Parthenon*) quotannis instauratur, sex candidatos in arenam vocavit, quorum unus: *Alfredus Rényi*, abiturienti gymnasii IPEA (= Instituto professoribus erudiendi adiuncti), discipulus *dr. Iosephi Wagner*, 80 Pengonibus libroque votivo donatus est. Alter, nomine *Géza Füleki*, discipulus scholarum piarum Budapestinensium, cuius professor *dr. Andreas Friedreich* fuit, laudem de opusculo suo meruit.

Bellum in Europa atrocissime in Finnia geritur. Fratres nostri septemtrionales non solum fortiores, sed etiam militiae peritiores sunt, quam Russi, quorum duces optimi iam ante bellum conditionis accusati — false an iure, nunc rem¹ minoris¹ putamus — et interfecti sunt. Quo factum est, ut Finni, tam pauci, tamen omnes impetus Russorum repellerent ingentique praedā potirentur. Ita fit² iterum verum² illud, quod poeta Germanicus dixit: «Mit Mann und Ross und Wagen || Hat sie der Herr geschlagen» (= Cum hominibus et equis et curribus deus eos fudit fugavitque). An quomodo aliter intelligi potest Finnos et vi naturae, frigore, nivibus, adiuvari et a plerisque nationibus Christianis, (praeter populos Scandinaviae ab Italis, Americanis, etc.) non solum pecuniam, aëroplanos aliaque adiumenta belli, sed etiam milites voluntarios accipere? Quare Finni sperant etiam se, quemadmo-



Cum res ad manus venit, Finni in pugna propiore pugione bene utuntur, dum Russos repellunt.

dum Hispanos nuper, a periculis bolscevismi liberatum iri. De ceteris locis³ belli³ gerendi³ — exceptis navibus submersis aut aëroplanis decidentibus — castra⁴ summa⁴ Germanorum et Britannorum Francorumque propter hiemem horridam quotidie plerumque haec nuntiant: Quies. Nihil novi.

Nuntii varii breviores. In Turcia Asiatica terrae motu 40.000 hominum, traminibus⁵ inter se collidentibus in Germania ad Magdeburgum 130, in Italia Neapoli 40, in urbe Americana Minneapoli in deversorio⁶ Marlborough flammis vastato 27 homines effugere nequeutes perierunt. — Postquam Germani ex Lituania, Lettonia, Esthonia, Russia in Germaniam redierunt, nunc etiam 186.000 Germanorum ex Tiroli provincia Italica in veterem patriam remigrabunt. — Recensus⁷ populi nuper habitus demonstravit in Bohemia et Moravia a Germanis obsessa 7, 300.000, in Slovacia 2,600.000 incolarum vivere. — *Antonius Papp dr.*, secretarius status emeritus,⁸ praeses societatis exploratorum⁹ Hungariae in sodalicio¹⁰ Scholarum Piarum scholam habuit¹¹ de multitudine exploratorum, quorum numerus in 48 civitatibus orbis terrarum 3,300.000 superat. Societas recentissima exploratorum in Sina condita 315.000 iuvenum numerat.

¹ mellékes = Nebensache = indifférent ² beigazolódik = sich bewahrheiten = se confirmer ³ hadszíntér = Kriegsschauplatz = théâtre de la guerre ⁴ főhadiszállás = Hauptquartier = quartier général ⁵ vonat = Zug = train ⁶ szálló = Gasthof = hôtel ⁷ számlálás = Zählung = dénombrement ⁸ nyugdíjazott = im Ruhestand = en retraite ⁹ cserkész = Pfadfinder = boy scout ¹⁰ diákövetség = Altherrenbund = association des anciens écolier ¹¹ előadást tartott = Vortrag halten = faire un discours

Peregrinationes in Superiore Hungaria et Subcarpatica regione. (2)

Scriptis *Car. Acs.*

26 fere diebus in Rahó contritis tandem domitionem²³ parabamus. Verum facere non potuimus, quin priusquam domum iremus, saltem quaedam celeberrimorum oppidorum nuper in patriam reconciliatorum viseremus. Ex oppido Rahó igitur, ut militaribus verbis utar, vasis²⁴ collectis²⁴ usque ad Beregszász curru vaporato iter facientes in oppido Beregszász automobile conscendimus. Colles Beregszásziensis vineis consitos praetervecti, dum oculos cumulis in arvis frumenti feracibus flavescentium mergitum²⁵ pascimus, ex planitie subito emersit arx Munkacsensis. Oppidum Munkács intrantes loci celebritatem, tabernarum lautitiam²⁶ et splendorem, platearum munditiam non poteramus non admirari. Ex ponte fluvii Latorca patet pulcherrimus in montes Verhovinenses prospectus. Oppido Munkács relicto iter automobili continuantes horis antemeridianis in oppido Ungvár advenimus. Ungvár et situs amoenitate et celebritate commercii est insignis. Novorum aedificiorum magnificorum incredibilem multitudinem si videris, novum oppidum ex tellure exstitisse putabis. Aedes gubernatoris, quae vocantur, cum granditate tum magnificentia eousque excellit, ut ne Budapestini quidem ei pares inveniantur. Ambulacrum²⁷ in ripa fluvii longissimum est

²³ hazamenetel = Heimfahrt = retour ²⁴ fölkerekedni = aufbrechen = plier bagage ²⁵ kéve = Garbe = gerbe ²⁶ díszes = prachtvoll = somptueux ²⁷ sétálóhely = Promenade = promenade

venustum. In medio oppido aedes episcopalis eminet pulchritudine. Arx vetus fluvii Ung amoenissimam prospectat vallem.

Ex oppido Ungvár viā ferratā proficiscentes Cassoviam venimus. Cassovia iure meritoque appellatur margarita superioris Hungariae oppidorum, est enim pulcherrimum oppidum, cuius platea principalis longissima abundat aedificiis antiquae structurae, inter quae excellunt aedes cathedralis St. Elisabethae, goticae structurae, in cuius crypta iacent corpora Francisci Rákóczi II et sociorum, turris Urbani, domus Leutschoviensis et alia, neque modernis caret aedibus, ut domus Cursus²⁸ publici²⁸ et multae aliae. Cassoviae situs est amoenissimus, circumcirca saltibus et collibus cingitur, in quos animi²⁹ causa saepe excurritur. Cassovia quamquam magnorum oppidorum instar est, tamen tranquilla, ubi bellissime³⁰ vivitur.³⁰

Grato igitur animo meminerimus eorum, qui nobis has regiones et haec oppida recuperaverunt. Utinam ceterae patriae partes, quae etiam nunc peregrinā servitute premuntur, tandem Hungariā, tamquam gremio³¹ matris recipi possint. (*Finis.*)

²⁸ posta = Post = poste ²⁹ szórakozás végett = aus Vergnügen = par plaisir ³⁰ nagyszerűen lehet élni = lebt sich herrlich = la vie est très belle ³¹ öl = Schoß = sein

Racine in Theatro Nationali Budapestinensi.

Theatrum Nationale Budapestinense anniversarium CCC-um anni natalis scriptoris celeberrimi Francogallici, Racine, celebrans duo opera optima scriptoris interpretibus¹ excellentissimis Nicolao Kállay et Iulio Illyés in scenam detulit. Ambo opera, quae «Andromache» et «Litigantes» inscribuntur, Racine studiis litterarum² antiquarum iam totus deditus scripsit, quibusque operibus auctor generis novi operum dramaticorum Francogalliae factus est. Secundum *La Bruyère* Racine in ingeniis ex aliis usum capientibus numerandus est. et cum scriptore alio Francogallico, *Corneille* collatus³ sic iudicari possit, ut Rafael cum Leonardo collatus: nihil novi repperit, sed ante iam reperta perfectiora reddidit.


In tragoedia «Andromache» Menelaus Graecis optantibus Troiā captā filiam suam Hermionem Pyrrho victori in matrimonium daturus est. Sed Pyrrhus Andromachen, viduam⁴ Hectoris, amat, quae cum filio suo Astyanacte Pyrrhi captiva est et vitam suam totam reliquam colens memoriam mariti mortui peragere vult. Orestes, amore Hermiones incensus, ab Hermione motus, in nomine urbium Graecarum caput Astyanactis a Pyrrho poscit, se sic amorem Hermiones sibi conciliaturum esse sperans. Andromache filium suum servaturus nubit Pyrrho, sed in ipso templo se ipsa vitā privare vult. Hermione, se a Pyrrho spretam⁵ esse aegre ferens, Oresti, ut Pyrrhum necet, persuadet. Quo necato Hermione odio mota se a Pyrrho avertit et super cadaver Pyrrhi mortem sibi consciscit. Orestes propter dolorem maximum animo⁶ relictus⁶ corrui.

Racine «Litigantes» *Vespis*⁷ *Aristophanis* inspiratus scripsit; quod opus nobis memoriam carminis celeberrimi *Ioannis Arany*, quod *Iuscinia*⁸ inscribitur, affert. Argumentum comoediae hoc est: Dandin, iudex ille captus⁹, dies noctesque iudicans ad desperationem adducit filium; civis autem, quidam nomine Chicaneau, semper novas

lites instruit — ad desperationem adducens filiam. Leander, filius iudicis, amatam Isabellam, filiam litigantis fraude adire potest, vestem enim custodis¹⁰ publici¹⁰ induens vi patrem domi includit, civem litigantem autem in ius vocat. Iudex furens liberatus, ut canem suum, qui pullum¹¹ gallinaceum¹¹ furatus est, iudicet, impellitur. In qua lite secretarius et famulus iudicis munere caudidici¹² funguntur. In actione iudex dormitat, caudidici temere¹³ loquuntur. Denique canis absolutus, iuvenis puellam amatam in matrimonium ducere potest. Scena, in qua iudex canem iudicat, catalique lacrimantes iudicem severissimum adeunt, memoriā digna est in litteris comoediae Francogallicae. Regimen¹⁴ scenarum¹⁴ vere dignum erat ingenioso poetae Francogallici.

Elisabetha Nagy dr. Bp.

¹ fordító = Übersetzer = traducteur ² irodalom = Literatur = littérature ³ összehasonlítás = im Vergleich = en comparaison ⁴ özvegy = Witve = veuve ⁵ megvet = verachten = mépriser ⁶ eszméletét veszítve = ohnmächtigt = évanouit ⁷ darazsak = Wespen = guêpes ⁸ fülemül = Nachtigall = rossignol ⁹ bogaras = beessen = timbré ¹⁰ rendőr = Schutzmann = sergent de ville ¹¹ csirke = Hühnchen = poulet ¹² ügyvéd = Rechtsanwalt = avocat ¹³ tücsköt-bogarat = blindings = à tort et à travers ¹⁴ rendezés = Spielleitung = régie



ENSOR aenigmatum: *Otto Schmied* Vindobonensis.

Solutiones aenigmatum numeri III.

1. luna, uxor, nota, arat.
2. Dulce et decorum est pro patria mori,
3. Amittit proprium, qui alienum appetit.
4. rima, idem, meto, amor.

Aenigmata recte dissolverunt: In Hungaria: V. Hoffmann, S. Kálmán, H. Korompay, G. Margittay, J. Pukánzsky, A. Turner, S. Wittinghof, P. Cholnoky, H. Eckhardt, G. Kerényi, E. Kis, M. Kossaczky, J. Németh, B. Elekes, M. Pieke, G. Schlosser, I. Vaszkó, L. Faust, I. Fáy, V. Árvay, M. Bartha, E. Böhm, C. Göbler, C. Horváth, M. Kertész, Ae. Pokorny, I. Ruitz, E. Madocsay, S. Pollacsek, E. Ungváry (*Szilágyianum*); G. Moldoványi (*Werbőczyanum*); St. Székely, St. Faluhelyi (*gymn. Archiep.*); J. Szőnyi (*gymn. Acad.*); G. Haluskay, V. Imhof, M. Klein, M. Toffler (*Veresianum*); G. Binder (*Scholae Piae*); I. Mosonyi, B. Tokayer, G. Szántó, E. Tamás, Th. Weiss, V. Huszty (*Giselanum*); G. Gonda, A. Lajta, G. Révész, M. Szabó, F. Szakács, R. Wimmer, G. Gárdos, A. Fenyves (*Bólyayanum*); E. Rosner, P. Konrád, G. Fabinyi, J. Mózes, L. Keleti (*gymn. IPEA*); H. Bántay, A. Berkényi, M. Fitz, C. Hainiss, P. Hallóssy, A. Héjj, E. Hönisch, M. Kiss, M. Papp, L. Rausch, M. Rozgonyi, J. Soltész, A. Szeredai, Z. Taufenecker, L. Törley, S. Weber, A. Zalay, E. Barkódy, A. Gaál, E. Boross, E. Kovács, H. Scholtz, I. Scultéty, K. Zulfalvy, C. Hollósi, J. Dessewffy, E. Binder, A. Tasnády (*Sophianum*); M. Boros, M. Henter, S. Löwy (*Zrinyianum*); St. Gátszegi, L. Hitesy (*America-num*) *Budapestinenses*. — St. Huszár, V. Simon *Csurgonenses*. G. Vongrey, L. Lenkei, Z. Babocsay, A. Halka, N. Simon, P. Szontágh, L. Török, A. Veres *Agrimenses*. O. Wald-

ner, J. Szó Gyöngyösiensis. J. Balázs, St. Börcsök, C. Imgrund, A. Káplár, C. Lehoczky, St. Zsembery, St. Horváth Kiskúnhalasiensis. L. Hársing Kisújszállásiensis. E. Balogh, M. Gósy, E. Horváth, C. Mészáros, M. Véli, H. Porer, E. Csapó Ginsiensis. Geysa Tokaji Makonensis. Br. Légrády, E. Borsay, H. Faragó, J. Kner, M. Lázi, M. Lőrincz, M. Potoczky, E. Nemerey Mezőturiensis. Classis II. B., L. Sloczár, Fr. Somogyi Miskolciensis. J. Török, A. Gatti Quinqueecclesiensis. M. Szabó (Ursulanum), J. Lőrincz (Széchenyianum) Scarabantini. L. Tamás, E. Földvári Vespremiensis. — In Batavia: W. Wenstedt, H. Akkermanns, W. v. d. Broek, C. Jacobs, H. Sluiter, J. Vossen, A. v. d. Valk Kaatsheuveliensis. I. Berkvens Eindhoveniensis. — In Helvetia: M. et Alf. Zeier Luganenses. — In Germania: A. Bobik, G. Elias, A. Gindl, E. Forster, E. Pelouch Vindobonenses.

Praemium sorte Helenae Korompay, Georgio Moldoványi, Marthae Klein, Ladislao Keleti, Hildae Bántay, Victori Simon, Brigittae Légrády, Classi II. B) Miskolciensi, Ladislao Tamás, C.-o v. d. Broek, Marthae Zeier, Ervino Pelouch, Stephano Faluhegyi, Iulio Szőnyi, Guilermo Binder, Ericae Tamás, Franciseo Szakács, Margarethae Boros, Nicolao Simon, Iosepho Szó, Carolo Imgrund, Ludovico Hársing, Margarethae Gósy, Geysae Tokaji, Margarethae Szabó obvenit.

Quadrata magica.

1.

1.	2.	3.			
1.	J	A	L	A	A
2.	A	V	E	E	L
3.	L	E	X	S	V

- Hoc cibum condio.
- Est salutatio.
- Praescripta populo.

Stephanus Hatvani, disc. Gyöngyösiensis.

2.

V	E	R	E	E	G
E	R	O	O	O	R
R	O	S	R	S	V

- Hoc est anni tempus valde gratum.
- Alter nostrum est nec vero tu.
- Ut hoc cernas, mane i in pratrum!

Adamus Székely, disc. Gyöngyösiensis.

3.

A	P	E	R	A	A	E	E
P	O	N	O	I	M	M	N
E	N	I	M	N	O	O	O
R	O	M	A	P	P	R	R

- Periculosa bestia.
- Interdum valet: «statuo».
- Causalis est coniunctio.
- Urbs sita in Italia.

Franciscus Szakács, disc. Bolyayanus Bp.


4.

				A	A	A	A
				A	A	F	L
				M	M	M	O
				O	R	R	R

- Quod pro «rumor» dicitur.
- Veneris est filius.
- Triticum hic teritur.
- Gallicus est fluvius.


Ludovicus Hársing, disc. Kisújszállásiensis.

5. Votum (rebus).



O. S.

Nota. Lectoribus minimis: 1, 2, medijs 3, 4, maioribus 5. — Quisquis aenigmatum tot solvat, quantum potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a professore suo collectas in communi involucro epistulae ad moderatorem J. Wagner, (Budapest, XI., Lágymányosutca 30) mittant. **Terminus solutionum: Calendae Martiae.**



Corrigenda numeri IV (Dec.): pag. 42: pro: «forsitare» lege: forsitan; — pag. 49: pro «bicylos» lege: bicyclos. — pag. 51: pro «Odysseum» lege: Ulixem. — pag. 56: auctor aenigmatis 3-i, quod errore typographico aenigma 2-um ab interpretatione separat, est I. Kerling.

Opuscula ad moderatorem miserunt: I. Guelmino, C. Ács, A. Friml, Fr. Szakács, G. Tokaji, L. Keleti, M. Mermelstein, L. Markó, O. Waldner, G. Tauszig, discipuli Schiedamenses, Fr. Lench, M. Zeier, R. Csató, Nowowiejski, E. Nagy, St. Hatvani, A. Avenarius, I. Berlowitz. Quorum aenigmata ad censorem aenigmatum misi, cetera opuscula quo magis temporis apta sunt, eo prius edentur. — Libros recensendos miserunt: M. Rubinyi, I. Frideczky, I. Waigand, Ed. Mészáros, C. Galassi Paluzzi.